Siue per rupes Heliconis olim
Aliger sacras pede quae citauit
Pegasus undas.
Aureus caelo Rhodijs nitenti
Decidit nimbus: Ioue dum supremo
Nascenis lato clypeo, et tremenda
Casside Virgo.
Ipsa te nascente dedit Pelasgae, et
Romulae linguae cecidit paterno
Qua ferox Bacchi, Cereris q; tellus
Pallas Olympo.

Et decens uultu Venus, et Cupido
Semper intento metuendus arcu,
Et celer Maiæ puer, et relicto
Gratia Phœbo.
Turgidus longo uelut imbre Nilus,
Sicca cum grato rigat arua fluctu,
Effluit, feruensq; tuo redundat
Spiritus ore.
Siue cum diuum pueros ducumq;
Thessala uectos trabe, seu furentum
Impetus regum canis, et scelestas
Sanguine mensas.
Thracius sylluas olor audientes
Mouit, et fuluos cithara Leones.
Tu lyra dulci traheres suis cum
Orphea suis.
Ipse non surda Siculo canentes
Virgines ponto, solitasq; fraudes
Falleres naui metuens doloso
Mergier ore.

Sed tuæ uictus numeris Camœnæ
Cerneres, somnoq; oculos cadentes
Dulcior Cycnis, et Apollinari
Dulcior ore.
Quid leui plectro referam, remoti
Quem Scythæ norunt, tumidiq; Persæ
Et ferox Maurus, positusq; Ibera
Cantaber ora.
Quiq; dum sæuas hyemes aquosus
Ducet Orion, nitidoq; Phorbas
Angue cingetur, uel aget Diane
Cuspide lyncas.
Viuet? audaces neq; enim procellas
Sentit, aut duri uarios tumultus
Prælij uirtus, auidum ue fatum,
Nec jouis ignes.

EPICEDIVM
IN IVLIANVM.

Quis duros gemitus, quis lachrymas queat
Iam sedare nouas? tu miserabile
Carmen Melpomene, tu mihi lugubrem
Cæi porrige barbiton.

Qua Pandionia dulcius alite
Maestis flente suum semper Ithyn modis
Cantans, est solitus spargere tristia
Largis lumina fletibus.
Nang heu juliaeae grande decus iacet
Gentis, cui probitas, cui pudor, et fides,
Cui lapsa aethereo iustitia e polo
Cunctis iuncta sororibus.
Quem non divitiae, non situs potens,
Quo finem implicitis ponere litibus
Assuetus toties, non potuit dolus
Recto flectere tramite.
O fortuna ferox, o dolor o dolor
Quippe ille ille parens occidit occidit
Cumaeum mentus uincere pulverem
Et longos Pylij situs.
Sed nil proficimus flebilibus modis,
Nulli tergeminae stamina virgines
Incorrupta neunt, omnibus imminent
Nigrae sceptra Proserpinae.

Ergo omnis gemitus pectore ab intimo
Prorumpens sileat, sint lachrymæ procul
Nam plenus senio, plenus honoribus
Vitam restituit polo.

AD POLYDORVM FVSCVM.

Duc meum Clio per amœna Tempe
Spiritum, uel per tacitura sacri
Antra Parnasi, bimaris ue ad undas
Acroconinthi.
Hic meæ quæso citharæ loquentes
Temperes neruos, tibiasq; cantus,
Daunio quales dederas olori,
Dum cano Fuscum.
Iam mihi cessas uideor Corinthi
Ire per rupes, gelidosq; lucus,
Quos secant riui, Zephiriq; grato
Flumine mulcent.
Hic decet dulces modulere uersus
Docta testudo, ac humili parumper

Pectore assurgas anima, huic suos dum
Reddis honores.
Cynthius summo proprijs olympo
Solus effulget radijs, et unus
Emicas tota POLydore terra
Alter Apollo.
Nam tibi flaui roseam capilli
Fusce ceruicem decorant, pudorq; est
Regio in uultu, et Tyrio colore
Candida fulgent
Membra. ceu uiuax Amaranthus albis
Lilijs mixtus, celer aut Gelonus
Poculum lactis quoties equino
Sanguine tingit.
Vincis insignem speciose prolem
Trois, et falsa speculatum in unda,
Castior Thesei puero, et pudico
Bellorophonte.
Qua tuas laudes referam camœna.
Quem uiget circum Venus, et timendo

Filius telo, Charitesq; fuso
Crine ~~ma~~dentes.
Qui potes sacras Helicone Musas
Ducere argutis fidibus, choroq;
Entheo permixtus Apollinare
Fingere carmen.
Splendidum magni puerum tonantis
Delium prisci coluere uates,
Nunc tuum sanctis precibus recentes
Numen adorent.

NOVIO ÆGRO
TANTI.

Phœbe, cui castæ decorant corollæ
Aureos crines, decus o Noueni
Agminis, gratum liceat, precamur
Fingere carmen.
Tuq; non paruum miseris leuamen
Grata testudo feriente plectro
Dic uelos, quod iam Nouio iacentes
Alleuet artus.

Barbito Ixion modulante duras
Nescijt penas, posuit prementem
Sisyphus molem. caruere uana
Belides unda.
Vosq; ducentes meliora Parcæ
Fila, Tithoni date uinat annos,
Aut Sibyllinæ numeros arenæ, aut
Nestoris ævum.
Si uigent illi probitas, pudorq; et
Ingeni uirtus, nitidiq; mores,
Quis premit cunctos, uelut occidentes
Lucifer ignes.
Sed pij cantum iuuenis benignæ
Audiunt Parcæ, placidusq; Apollo
Non enim magni pepulere diui
Æqua petentes.
Vunde thus diuis dabimus, dapesq;,
Myrto odoratos cohibente crines,
Siue Baccheas Apio uaienti
Fallere uires.
Iure Latonaq;, Iouisq; clarum

Filium gratis fidibus sanendo,
Et die toto. redeatq; donec
Cynthius idem.

PRÆSAGIVM
AD IOSEPHVM COLLI-
RETICVM TRI-
VMVIRVM IV-
LIENSEM.

Cui sacrum Phœbi decus imminentum
Dura testudo referam laborem,
Quæ mihi uerax Ioue nata summo
Spirat olympo.
Hæc mihi nosit pietas, fideq; I-
osephi, qui res, hominumq; sortem
Iustia lenis moderatur ora.
Colliretea
Gente cui pristum genus, atq; sanguis
Regius, clariq; nitent parentes,
Rura cui, lectoq; redundat omnis
Copia cornu.

Casside hunc Pallas decorat, suisq;
Anguibus, cultoeq; lepore linguae,
Inter et dulces Heliconis umbras
Sentit Apollo.
Hunc nec Hermei liquor omnis equo
Flecteret cursu, neq; uis minaci
Imminens ferro, nec atrox corusco
Fulmen ab axe.
Huic decet tristi modulere uersu.
Quae dabit magni genitor tonantis,
Dum premet lentas Tyrio malignus
Sydere bigas.
Audiet passim miseros fameq;, et
Delijs sterni iaculis, et omni
Labe mortales, grauior nec unq;
Saeuit egestas.
Qua uagis lustrat radijs patentes
Cynthius terras, prius at superni
Imbribus totum cecinere uates
Mergier orbem.

Nec Pyrenei Scythicive dorso
Culminis, celsi ve iugis olympi,
Aut Atlanteo fore montis ullum
Vertice tutum.
Vnde Pyrrhaeo grauius rediret
Saeculum, cunctae tremuere gentes,
Delphicus tantum superaret omne
Cum mare uertex.
Quae Gigantei scelerata proles
Sanguinis, diraeque studiosa caedis,
Et deos temnens meruit, trucisq;
Mensa Tyranni.
Quem pater diuum fenitate denis
Arcadum iussit ululare syluis,
Et superfusa populos, et urbes
Perdidit unda.
Ni Promethidae gemitus, fidesq;
Coniugis luctusq; fuisset, orbae
Gentibus terrae, superis nec ulla
Templa manerent.

Ante q̃ latis premerentur undis
Cuncta, me tristes, modo notus omnis
Sydenum tractus, populi rogant quid
Astra minentur.
Non Erythreæ potior Sybillę
Vox foret, templo nec Apollinari.
Jmbre uix tellus, pluuio ue dixi
Rore madescet.
Ipse, cui septemgemini rotantur
Orbium motus, duce quo nec acres
Jnnocens flammas timet, aut frementem
Nauta Carybdim.
Et graui quanuis rueret tumultu
Orbis, ingenti meritum procella I=
Osephum serues, neq̃ enim micanti
Charior aulæ.

JN HALOSIM JVLIENSEM. Vaticinium 1520. c.

Maximo diuum sata, cui uagantis

Est datum lato cohibere gyro
Syderum motus, et operta certi
Noscere fati.
Julio nuper uitreum ferini
Agminis regem pepulit recessu
Alitum princeps. erit anne longum
Dic Dea regnum.
Surget herboso tibi celsa prato
Delphica Phœbi redimita lauro
Ara, fulgentiq; dabit sabœa
Nubila cœlo.
Non diu partos uoluerum suprema
Rexerit tractus, uetuit nitentes
Impigra Astrœis agitans aristis
Cynthia bigas.
Quod fore ut noris, paphijs micantem
Delium nonis, rapidamq; nubem,
Prosperam cernes quoq; uiperino
Vertice Lunam.

IN CALENDAS
MARTIAS.

Diua gemmato residens olympo,
Tuq; Niloæ moderator undæ,
Martijs quæ lux redeat precamur
Ferte Calendis.
An datum puro, placidoq; cœlo
Ire saxosi per aprica Turni,
Et nouos sacris Dryadum conlis
Carpere flores.
Sydenum Princepsq; decusq; claros
Exeret uultus: at iniquus acri
Juppiter uernas minus occupabit
Frigore terras.
Quin et arctoi, geticiq; cultor
Verticis, tractuq; means eoo
Diuident auras: Pharius superna hæc
Rector ab ora.

AD DRACONEM.

Qui trucem ripa NATisonis hostem
Strauit arctoo metuendus orbi.
Captus est heu heu, modo destitutus
Militte Consul.

Dulcis o Graiæ, Latiæq; linguæ
Fulgor, æterni DRACO dissicis quam
Carceri sortem meditentur altis
Tractibus ignes.
Haud licet tristes reserem laboreſ,
Asperam Helleei, nisi me nitenti
Aureos lauro Dea uincta crines
Fallit ab axe.

AD RAPH. CRASSVM.

Quæ sacram Rocco reseruit aulam
Lux, erat dulci peragenda plectro,
Quæ uago lambit mea Crasse Turnus
Prædia cornu.
Imbre sed raucoq; polo, et conuoca
Destruent uotum face, cui secundi
Sceptra sunt orbis data, tertiq;
Rector olympi.

AD DRACONEM
IN IDVS
FEBRVARIAS.

Cura Musarum noua, dauniq;

Arbiter plectri draco, me rogas quam
Febrius lucem uaga destinarint
Idibus astra
Quam simul laetum thyasis, chorisq;
Rettulit sacrum pueris puellae
Mollibus mixtae nitidi frequentat
Margine Turri.
Lenis eoa fugiens ab ora
Spiritus, tractuq; madens tepenti
Mitibus spargent. leuibusq; grata
Iugera lymphis.
At diem laetum statuet benigno
Cyprin aspectu speculans deum rex
Praesciae ductor monet haec cohortis
Vranieq;.

EPIF.
LIVIANI
IMPE.

1515.

Quid septem gemina nitens corona
Romanae decus Iliaeq; gentis,
Terris imperitans, mariq; Virgo.

Alto pectoris ingemis recessu?
Heu heu quod mihi Liuiane uulnus
Liquisti moriens. diu ruentem
In me uis tua perdomabat orbem.
Qualis Sydereo celer parenti
Saeuos obruit Euius Gigantas.
Heu quis Mars mihi, quae fides relicta?
Omnis fortior eximas dolores.
Te Tritonia proteget, tuosq;
Extendet joue sic iubente fines.
Tu castam, ut solita es, geres iuuentam,
Dum uiuet Mare, dum sacer coruscа
Ibit lampade Cynthius per axem.
At me, qua Lybico minatur angui
Alcides, nitida recepit aula
Diuorum sator. Vnde te supremis
Excelsam speculer stupens triumphis.
O dignam Scythicis diem lapillis.

FINIS.

In Ciuitate Austriae

MDLXVIIII

Hae nouemdecim Odae sunt impressae Venetijs impensis Marci Antonij Moreti 12 Kal. Augusti MDXXIX in 4 cum icone, quae est in principio.

DIVERSORVM
Illustrium ætatis nostrę Poetarum Carmina.

~~NICOLAI MACHERO~~
~~Pij Torojuliensis carmen de~~
~~Morte presb. Asquini et D.~~
~~Joannis de Rubeis~~
~~Carmina~~

De Miseranda nece duorum amantum.

Nox una, et nex una, eadem sors, hora, locusq;
Igne pares, ætate pares, et amore gemellos,
Causa eadem, et fortuna duos sociauit amantes,
Tela tulere eadem uitæ cum uiribus auras,
Mens una, una manus, feruor, furor, impetus unus,
Parq; fuit miseris mœroris amoris arena,
E uenis Venus, et sanguis, calor, et color haustus
Ambæ animæ exanimi unanimes de corpore ierunt,
A' lecto et læto lætę lethenq; perosæ
Abdiderunt propere Elysias simul ora sub oras,
Quam uita atq; animis concordes funere, et umbris

Spirantes eadem per uulnera uulnera Amoris,
Sed Venus in gremium elysia de ualle receptas
Ambrosia alternans alterno ex ubere pauit,
Quæq; reuelarunt discrimine crimen aperto
Immanes animæ manes patientur in æuum.

Hieronimi Amalthæi.

Pulchior e somno rosei flos oris hiabat,
Cum tibi surripui lux mea basiolum,
Ing meis subito lasciuior iste labellis
Dens tuus impressam linquit Hyella notam.
Non impune tuli furtiuum nectar Amoris.
Et sua sic feriens mella tuetur apis.

Edit. Musch. pag. 52.

Fert nitido duo poma sinu formosa Lyconis,
Illa eadem nitido fert duo fraga sinu.
Sunt mammæ duo poma, duo sunt fraga papillæ,
Poma niues, uincunt fraga colore roses.
Hæc Amor exugens, ualeant ait ubera matris,
Dulcius his manat nectar ab uberibus.

† edit. Musch. pag. 52.

+ Lumine Acon dextro, capta est Leonina sinistro,
Et potis est forma uincere uterq; Deos,
Blande puer, lumen quod habes concede puellae.
Sic tu caecus Amor, sic erit illa Venus.

In festum Diui Martini.

Bibere Martini festum iubet optima uina,
Tu solitus nobis optima uina dato,
Contra grammaticos producta est syllaba prima
Bibere, et hoc uitium Criticus esse putat.
Verum ego defendi possum ratione diei,
Bibere nanq; hodie non decet esse breue. ~

Musch. edit. p. 58. †

Trans Styga Tysiphone miserum dū torret Acona,
Et super imposito sulphure flammam acuit,
Ille dolens Herebi centum mirantibus umbris
Clamat. adhuc Gallae saeuior ignis erat. ~

†

Infidum cum Galla ardens abysse Perillum
Et permutatis currere sensit equis,
Protinus induta est animum sine ueste uirilem
Et sequitur cursu, dum fugit, illa, pari,

Vteris, exclamat, frustra calcaribus, alis
Vecta Cupidineis te fugitiue sequor.

Edit. Musch. pag. 39.

+ Mille tibi Doris pascit conchylia ponto,
Mille tibi in syluis pascit Hyantis oues,
Vt cum olim proceresq; inter, gentemq; togatam
Te gremio accipiet Martia Roma suo.
Altera Nympharum tibi uellera tondeat uni,
Altera Sidonio murice tingat oues.

Edit. Musch. pag. 56.

Texebat mihi Galla rosas, nec bina negarat
Basia, cum miseræ labra momordit apis,
Inuida apis, ne turpe puta dulcedine uinci,
Inuida, ne Gallæ læde labella meæ,
Tu si mella tuis occultas roscida cellis,
Cælestem illa suis occulit Ambrosiam. ~.

In calamum uersam cum iam Syringa uideret
Pan Deus, ardori nec superesse modum,
Si placet hanc superi, dixit, mutate figuram,
In tenues flatus me quoq; uertat Amor. ~.

Marci Vasij Foroiuliensis
Ex Franc. Petrarchiu.

O VIRgo formosissima
Quæ Phœbi amicta lumine,
Vellereq; cincta sydenum,
Summo ita places soli, suum
Vt lumen in te clausenit,
Impellit ecce, ut te canam
Amor, sed absq; numine
CHRISTI, ac tuo quid ordiar,
Te, uirgo, dignum? Ergo meæ
Voci, ut benigna es, annue,
Pressoq; fer opem, sim licet
Qui te uoco pulvis ego, tu
Regina cæli, ac cœlitum.
O Virgo prudentissima,
Ac uirginum prudentium
Princeps beatarum, ante te
Mage affluenti lampada
Ferens olino, splendidam,
Scutum, o miserorum, o fugerans

Aura impiam mortalium
Sitim! Tua illa lumina
Quæ facta lachrymis, tui
Videre nati uulnera,
Rebus meis conuerte. Nam
Incertus erro, et undiq
O Diua, de te pendeo.

O uirginum purissima
Virgo, parens, ac filia
Partus tui, quæ lumine
Ornas suprema et infima,
Per te supremi filius
Patris, tuusq idem, sacrum
Morti Æuiternæ Adegemus,
Vitæ redonauit, serens
Choris beatorum. Una enim
Electa es, Tuæ ut uerteres
In gaudium suspiria:
Fac, diua, me felix tuo
Voti potentem numine.

O virginum sanctissima
Affusa dulci dulciter
Rore affluentis gratiae,
Quae comitate humillima
Te deprimens ultro, poli
Suprema adisti sidera,
Vota unde suscipis mea.
Fontem una misericordiae
Solemq; justitiae paris,
Huic sponsa, mater, filia
Fac illius crucis memor,
Illum intimo ut corde ardeam
Diua o beatrix omnium.
O singularis, unica
Virgo, aureum coeli decus,
Qua cum nec ulla contulit
Quot quot fuere, virginum,
Haec proxime attulit pedem:
Tu mente nam coelum pia
Actuq; suspirans, tuum in
Illexti amorem coelitum

Regem, illum utero claudens tuo
Intaminato et aureo,
Defunctus ò tot malis.
Viuam Deo felix, duce
Te, diua uirgo, et auspice.
O uirgo, clara siderum
Lux, hoc procelloso in mari
Vltro citroq; euntibus,
Salutis ostendens iter,
Iugi serena lumine:
Vt uorticoso turbine
* Me pene pontus
Vnum atq; inertem, ah non uides?
Da, uirgo, ne tuus meo
Hostis dolore rideat,
Sisq; ò memor, deûm, illius
Manu ut redimeret hos, tuo
Sumpsisse carnem è corpore.
O uirgo, quot iam lacrymas
Mitesue nequicq; preces
Effudi, ineptiens meæ

Dispendio uitae graui,
Nempe. ex quo ad Arni flumina
Sum natus. infelix, uagus,
Semper alienum hausi aëra;
Mortalis in causa decor
Puella, Amorq3. adesq obsecro
O sacra et alma uirgo. nam
Trudit dies diem, ac mihi
Leui ocyora anordine
Obire pergunt tempora.
O uirgo. hem illa in puluerem
Redacta, quae nunc, ut mei
Causa est doloris, sic meo
Cordi illa uiuens intulit
Amenti amanti, ac perdito
Cum lachrymis suspiria
Mei, meorumq3, ut proba
Vltro malorum negligens,
Eia ergo tu coeli potens
Ifera. ac Dea. da iam lachrymis
Finem meis. sic debitis

Te laudibus sequor libens
Salutis authorem meæ.
O uirgo, spes certissima,
Te humillime inuocantium,
Meiq; præsertim, tuo
Nempe anchora uelut sacra,
Fidentis alma numine,
Ades, oro, ne ue indignitas
Mea obsit, ægro quin feras
Opem, Medusa, Errorq; me
Nam uertit ac conuertit in
Humore inanum lubricum
Marmor, meum cor lachrymis
Imple piis, ut assequi
Hinc uera possim gaudia.
O uirgo, ut humanissima,
Sic intumentis unice
Diua hostis insolentiæ,
Communis exordij te amor
Ah moueat, ac promoueat, ut
Adsis reo, sed anxio
Frugem reuerti ad optimam,

Te nempe uirgo si duce
Emancipatus igneos
Ictus amoris exeam
Per aes libramq; me tibi
Tuoq; nomini hanc chelim Æ-
ternum dico. atq; dedico.
O Virgo. iam dies mihi
Magnis itineribus uolant
Mortem aduertentes. cui, uelim
Nolim, necesse est obsequi,
Me filio o mater tuo
Commenda. ut aeterna meam
Quiete donet spiritum. ~

Edit. Musch. pag. 50. Amalthej Epigramma.

Perspicuo in uitro puluis qui diuidit horas,
et uagus angustũ sepe recurrit iter.
Olim erat Alcippus, Gallę qui ut uidit
Arsit, et est cæco factus ab igne oculos cinis.
Irrequiete cinis, miseros testabere amantes
More tuo nulla posse quiete frui.

Georgij Sabini epigramma.
de Varijs amoribus.

Gallus amat celerem pede non remorante puellã,
Quæ leuis est certis ac magis apta modis.
Hispano magis illa placet, cui forma benigna est
Cui venus ex oculis semp amica micat.
At Italus timidæ lætatur amore puellæ
Dulcia quæ veneris prelia sepe fugit.
Virgo sed audaciquę prouocat ore maritum
Illa est Germano dulcis amica uiro.

RHETORICORVM ARISTOTELIS

Liber Primus

M. ANTONIO MAIORAGIO

Interprete.

Epigramma
Octauiani Meniani.

Flore noua, et uarijs hiberno frigore virgo
Adrias effundit plena canistra rosis.
Datq; inter gelidæ carentia munera brumæ
Intempestiuas, cernere ueris opes.
Quid premere Imperio nequeas pulcherrima virgo
Si cedit rerũ iã tibi magna parens.
Arbitrioq; tuo se Qmittentia cursus
Atq; uices obeunt ipsa elemẽta nouas.

Eiusdem.

Cur faculam φιλαρόσ prebẽtẽ lumina mẽsę
extinxe, et thalamũ luce carere doles.
An nox horrescat tenebris ubi Varmia tria
Aut ubi continuis ignibus ipse cremor est.
Tu potius cæcus, si nõ ea lumina cernis,
Vel quæ sub nostro pectore flamma fuit.
Quare aut ne accende, aut si uis accẽdere,
Illius ex oculis, quęre uel igne meo flamma

In Selinū Turcarū regē.

Hieronymi Donzellini.

Epigramma.

Luna ego, me mortis circumdedit undique terror
et quò confugiam nō patet orbe locus.
Per terrā fugiam? Leo saeuit maximus alis notis
Per mare? Stant Venetum carbasa tenta
Aëra per uacuū? uolucrū Regina fugabit.
Per caelū? Petrus regna beata tenet.
Quid faciā moneas? redde oībus oīa, amicū
Te excipiet caelū, pontus, et aether humus.
Ki facias Stix atra manet, Lethaeque regna
Cocythus, Phlegethon, Cerberus, Eumenides.

Octauiani Alenini.

Ad Patriarch. Grimanium

Virtutis Grimane tuae certissimus haeres
Haeres speratus muneris: astra tenet.
Ne doleas: nam qui fuerat te iudice dignus
Dignū etiā se se Iuppiter ipse putat.
At te nullius iam successoris egentem
Aeternū terris dīq superesse uolunt.

Germanici epigramma.

Thrax puer astricto glacie cum ludit in Hebro
Frigore concretas pondere rupit aquas.
Dumque imae partes rapido trahere nec ab amne
Abscidit tenerum lubrica testa caput.
Orba quod inventum mater dum conderet
Hoc peperi flammis, cetera, dixit aquis urna.

Diuiti omnia adsunt, ut
apud Plotaeum his uersibus.

Epicharmus quidem Deos esse dicit
Ventos, solem, terram, aquam, ignem, stillas.
Ego autem utilis esse Deos arbitror
Argentum nostrum, et aurum,
Nam illos si collocaueris in domum
Pete quicquid uolis assequeris omnia,
Sic enim uel ipsos Deos habebis ministros.

Artem Rhetoricam esse.

RHETorica Dialecticae ex altera parte respondet. ambae.n. de in eiusmodi rebus sunt, quae a cunctis hominibus quodammodo cognosci, atq; intelligi possunt: nec sunt in aliqua definita, ac certa scientia. Quocirca omnes homines utrarunq; sunt aliquo modo participes. omnes.n. aliquo usq; et exquirere, et rationem reddere: et defendere, et accusare aggrediuntur. at ex imperitorum numero quidam haec temere, casuq; faciunt: quidam autem habitu quodam animi, longo usu comparato. cum autem haec utroq; modo fieri contingat, perspicuum est, certa uia, atq; arte comprehendi posse. Licet.n. causam intueri, cur et qui ex usu, et qui fortuito haec faciunt, id, quod uolunt, assequantur. hoc autem ipsum iam artes opus esse nemo est quin fateatur.

Artem Rhetoricam ab alijs esse imperfecte traditam.

Sed qui hactenus de arte dicendi conscripserunt: paruam quandam eius particulam tradiderunt, probationes n. solae ad arte pertinet, reliqua uero sunt additamenta. at isti nihil de enthymematibus loquuntur, quod corpus est, ac fundamentum fidei faciendae, de ijs uero, quae sunt extra rem posita, plurima pertractant: nam criminatio, misericordia, iracundia, caeteraq; huiusmodi animi perturbationes neuaq; ipsius rei propriae sunt, sed ad nouentum iudicem pertinent. Quod si id in omnibus iudicijs fieret, quod in aliquibus ciuitatibus etiam hoc tempore fit, atq; in illis praecipue, quae bonis legibus fundatae sunt, nihil sane isti haberent; de quo uerbum facere possent. omnes n. existimant, legibus hoc cauere oportere: quidam etiam eo utuntur, et prohibet oratorem quicq; extra causam dicere, quemadmodum Athenis fit in Areopago, et recte quidem hoc sentiunt: neq; n. conuenit iudicem distorquere,

atq;

atq; inflectere ad indignationem, uel inuidiam uel misericordiam. idem n. est, ac si quis eam, qua usum est, regulam obliquam ac tortuosam efficeret. Præterea nõ dubium est, eius, qui controuersiã habet, nullas alias esse partes: quàm docere, rem aut esse, aut non esse, aut factam aut non factam fuisse. utrùm autem magna sit an parua, iusta an iniusta, si lator legis non definiuit, ipsum per se iudicem intelligere oportet, non autem ab actoribus discere. Maximè uerò expedit bene institutas leges oia quæcũq; possunt, complecti, ac definire, minimãq; partem ipsis iudicibus relinquere primò, quia longe facilius est, unum aut paucos inuenire, quàm multos, qui bene sentiant, et leges ferre, ac uerè iudicare possint: deinde, quia legum lationes longo tempore, diligentiq; consideratione fiunt, iudicia uerò subita atq; repentina sunt, ut difficile sit ipsos disceptatores æquitatem, atq; utilitatem rectè perspicere, ac tueri. illud tamen maximum omnium, quòd legislatoris iudicium non de singulis, neq; de præsentibus rebus est, sed de futuris, et de universo genere, sententiæ uerò moderator

et iudex

et iudex de presentibus et definitis rebus discep-
tant, ac statuunt, qui sæpenumero uel amore
uel odio, uel utilitate propria mouentur ita,
ut nullo pacto amplius ueritatem intelligere, ac
uidere satis queant, cùm propria uoluptas, aut
molestia uero iudicio tenebras offundat. In
cæteris igitur rebus (ut antea dixi) quammi-
nimis iudicem ipsum dominum constituere
oportet. uerùm utrùm facta res sit an nõ facta,
futura an non futura, sit nec ne sit, iudicibus
ipsis omnino statuendum relinquere necesse est,
neq; enim ullo modo fieri potest, ut hæc legislator
præuideat. Quæ cum ita se habeant: perspi-
cuum est, eos ad artem ea reducere, quæ sunt
extra propositam materiam, quicunq; res alias
explicant, ut quid proœmium, quid narrationem
habere oporteat, et quid unaqueq; aliarũ ptiũ.
nihil enim aliud sibi proponunt, quàm ut iudicẽ
aliquo modo afficiant. de artificiosis uerò proba-
tionibus ne uerbum quidem faciunt, quibus
solis acer in argumentationibus, et argutus ora-
tor fit. Atq; hac de causa cùm eadem uia
atq; ratione deliberationes, et iudicia tractẽtur:
sintq;

sitq; deliberationis tractatio speciosior, et ciuitatibus utilior, quàm conuentorum et iudiciorum: de illa quidem nihil dicunt, de iudiciis autem omnes artem conscribere aggrediuntur: nam in deliberatiuo genere longè minus prodest ea, quæ sunt extra causam, dicere; minusq; callidi-tatis, ac fallaciæ capax est sententiæ dictio, quàm iudicium, sed magis aperta est, ac popularis. hîc enim disceptator ipse de suis, ac propriis rebus iudicat. itaq; nihil aliud opus est, quàm ostendere, rem ita se habere, quemadmodum is ait, qui sententiam dicit. in iudicijs uerò nequaq; hoc satis est, sed auditoris animum occupare permagni interest, quoniam de alienis rebus futurum est iudicium, itaq; sæpe iudices ad uoluptatem sese referentes, et ad gratiam audientes, litigantibus gratificantur, non uerè iudicant. Atq; hoc in causa est, ut multis in locis (sicut antea dixi) lex prohibeat, aliquid extra causam dicere, quod in sententijs ipsi disceptatores, quorum de re agitur, satis diligenter obseruat.

iam

Iam uero illud certum, atq; exploratum est, eam uiam atq; rationem, quae ad artem pertinet, totam in probationibus esse positam. probatio autem ac fides, quaedam est argumenti conclusio. tunc n. maximè credimus, cùm rectè conclusum esse putamus. Rhetorica ~~porro~~ porro conclusio, probatio q; uocatur enthymema: hoc enim omnium probationum plurimu ualet. Est autem enthymema syllogismus, ac ratiocinatio quaedam: de omni uero syllogismo tractare Dialecticae proprium est uel uniuersè, uel certè cuiusdam partis eius. Non dubium est igitur, eum, qui perspiciendi facultatem habet, ex quibus propositionibus, et quo pacto collocatis syllogismus fiat, acerrimum in argumentando, et argutissimum oratorem futurum: modò praeterea intelligat, quae sit materia, quam tractent: et in qua uersentur enthymemata, et quomodo à demonstrationis syllogismis distinguantur, eiusdem enim facultatis est, et quid uerum, et quid uerisimile sit, intelligere. Huc accedit, quòd homines ipsi à natura ad ueritatem satis informati sunt, et in maiori rerum parte ueritatem consequuntur, quapp eiusdem hominis est, qui

ad

ad uerum conijciendum aptus sit. etiam ad res probabiles ita se habere. ut facilè eas indagare queat. Jam igitur cur ij. qui de arte dicendi scribunt, quæ sunt extra causam, persequuntur, et cur ad iudiciale genus magis inclinarunt, satis ostensum est. — ~

Rhetoricam utilem esse.

Vtilis est autem Rhetorica proptérea quód resueræ, ac iustæ natura meliores ac potentiores sunt, quam contrariæ. quòd si non rectè iudicia exerceantur, necesse est, eas a falsis et iniquis superari. hoc autem uituperatione ac reprehensione dignũ est. prætérea apud quosdas homines, etiam si exquisitam scientiam haberemus, non facile esset argumentis, ab ea ductis, dicendo persuadere. quæ enim à scientia proficiscitur oratio, munus, operamq; doctoris requirit, quod in persuadendo fieri non potest. Sed omnem probationem, et orationem à communibus ac probabilibus ducere opus est, ut in Topicis etiam diximus, cùm doceremus, quómodo cum imperita multitudine congrediendum est. Jam uerò etiam opus est. res contrarias dicendo persuadere posse, quemàdmodum in syllogismis ac disserendi ratione fieri solet.

non

non quidem, ut utrung faciamus, neq. n. quæ
mala sunt, persuadere oportet, sed ne lateat nos,
quomodo hoc fieri possit: et siquis huiusmodi
oratione non iuste utatur, eam refellere ualeamus.
Ex alijs autem artibus nulla est, quæ in con-
trarias partes disserat, uenim Dialectica, ac
Rhetorica tantum hoc proprium est, ambæ. n.
eodem modo in utrang partem disserunt, et
contraria colligunt, sed tamen res, quæ his
artibus subiectæ sunt, non eodem modo se
habent: semper enim quæ uera ac melio-
res natura sunt, illæ facilius etiam probantur,
et persuadentur: dico autem, ut generatim,
et plenung fit: Præterea si turpe est homini
non posse sibi ipsum corpore opitulari: quanto
turpius est oratione se defendere non posse:
quæ magis q. usus corporis, hominis propria est?
Quod siquis obijciat maxima incommoda eum
importaturum, qui iniuste hac dicendi facul-
tate utatur, hoc iam commune est cum
alijs bonis omnibus, præter uirtutem, et cum
eis præcipuè, quæ maximas utilitates adferre solet:
ut

ut cum fortitudine corporis, cum bona valetudine, cum divitijs, cum arte imperatoria, quibus si iustè quis utatur, plurimum prodesse, sin iniustè, non mediocriter obesse solet. — — —

Iam igitur dicendi artem non esse aliquo ~~modo~~ certo ac definito genere, sicuti neq; Dialectica est, et magnopere utilem esse, perspicuum est. Praterea uero officium eius esse non persuadere, sed ea uidere, quæ ad persuadendum accommodata sint: quod etiam in alijs omnibus artibus usu uenit: neq; enim medici officium est sanare, sed usq; eò rem perducere, quò ratio curandi patitur: non fieri potest, ut is benè, atq; ex arte curetur, qui bonam valetudinem recuperare nullo modo possit. Illud etiam manifestum est, eiusdem artis esse, et quod appositum est ad persuadendum, et quod uidetur appositum inuenire, quemádmodú Dialecticæ est uerum syllogismum, et qui uerus uidetur, intelligere: fallax enim et captiosus disputator non ex facultate, sed ex uoluntate atq; delectu debet æstimari: sed ea est differentia, quòd in arte dicendi tam is, qui fallacibus

cibus utitur argumentis, quàm is, qui scientia contentus, eas refugit, orator vocatur: in disserendi verò ratione distincta sunt nomina: nam qui studio fallendi ducitur, sophista. qui autem facultatem quidem habet fallendi, sed ea non utitur, Dialecticus appellatur. Sed age iam de ipsa arte dicere aggrediamur, et quomodo, quibusq; argumentationibus ea, quæ proposita sunt, assequi poterimus. Rursus ergo, ~~ea, quæ proposita sunt~~ tanq; ~~de integro~~ à principio, naturam eius definiendo aperiamus. deinde etiam de reliquis dicamus.

Rhetorica quid sit.

EST igitur Rhetorica uis quædam, ac facultas inueniendi, quid in quaq; re sit ad persuadendum accommodatum: hoc enim nullius artis alterius officium est: nam artes aliæ singulæ tantum ea docere, ac probare contendunt, quæ materiæ illius sunt, in qua uersantur: ut medicina, quid salubre, quid insalubre sit: Geometria, quæ sint euenta, quæ magnitudinibus accidunt: Arithmetica

rithmetica numeros, eodem modo aliæ artes, et scientiæ: Rhetorica uerò de omni, perè dixerim, proposita quæstione appositè ad persuadendum dicere potest. Atq; ideò dicimus, eam non in aliquo proprio, aut definito genere artis suæ uim habere.

Duas esse Probationes: unam artificiosam: alteram artis expertem.

Probationum autem aliæ quidem expertes artis, aliæ uerò artificiosæ sunt. Expertes artis eas uoco, quæ nostra opera non pariuntur, sed extrinsecus assumuntur, ut testimonia, et quæstiones, et eius generis cæteræ: Artificiosas autè eas, quæ artis præsidio discimus, et cùm inhæreant in ipsa re, reperiri industria nostra, atq; inde eui possunt. ita in superiore genere de tractandis argumentis, in hoc etiam de inueniendis cogitatum est. —

Earum uerò Probationum, quas dicendo acquirimus, tria genera sunt, nam aliæ in uita, ac moribus oratoris positæ sunt: aliæ in permouendo, atq; af-

ficiendo

ficiendo, prout opus fuerit, auditore: aliae denique in ipsa oratione: cum aut probatur aliquid, aut probari videtur. Quae à vita, et moribus probatio nascitur, ea tunc fit: cum ita habetur oratio, ut eum, qui dicit, dignum, cui fides habeatur, videri faciat. probis enim viris, et magis et celerius credimus: atq; hoc generatim in omnibus quidem rebus: at in iis praecipue, quae certo scire non possunt, sed varie traduntur, omnino bonorum virorum sententiis acquiescimus. Hoc autem, etiam ipso genere orationis consequi oportet, neq; satis est oratorem ante conceptam de se bonam opinionem ad dicendum adferre. neq; enim audiendi sunt quidam artis scriptores, qui orationis ante perfectam probitatem in arte collocant, tanq; si boni mores ad tempus orationis expressi, nullam ad persuadendum vim haberent; quin ausim dicere, maximam ferè omnium vim fidei faciendae in moribus

exprimendis

exprimendis esse positam. Alterum genus probationis, quod ab auditoribus proficiscitur, fit, cùm motum aliquem animi miscet oratio. neq; enim eodem modo de aliqua re iudicamus; cùm mœremus, et gaudemus, aut cùm diligimus et odio prosequimur: qua in re una tantùm eos laborasse dicimus, qui hactenus de Arte dicendi conscripserunt. Sed de his omnibus sigillatim tractabimus, cùm motiones animorum explicabimus; tertium probationis genus oratione fit; cùm aut ue non, aut quod ueri speciem habet, concludimus, ex eis argumenta ducentes, quæ in quaq; re sunt ad persuadendum accommodata. Cùm igitur omnes artificiosæ probationes per hæc fiant: perspicuum est, eum solum hæc tria consequi posse, qui differendi rationem et morum atq; uirtutum cognitionem, et perturbationum animi

naturam

naturam perceperit: ut sciat, quid unaqueq
perturbatio sit, et qualis, et ex quibus excitetur,
et quomodo. Itaq fit, ut Rhetorica sit propago
quædam, et quasi pullulatio Dialecticæ: et
facultatis eius, quæ de moribus tractat,
quam recte ciuilem scientiam appellabimus.
atq ideo Rhetorica sibi habitum, ac formam
scientiæ ciuilis inducit: et qui huic arti
incumbunt, partim ignoratione rerum,
partim inani gloria ducti, partim alijs
etiam humanis causis ciuilem se tenere
scientiam profitentur: cum particula tan-
tum quædam et imago Dialecticæ sit,
quemadmodum initio diximus. neutra
enim earum alicuius definitæ rei scientia
est; ut quærat quomodo res ea sese habeat:
sed facultates quædam sunt inueniendi,
quid in unaquaq re probabiliter dici
possit. Iam igitur de utriusq ui ac potes-
tate, quoq modo inter se coniunctæ sint,
satis

satis (ut opinor) dictum est. In probationibus autem, quæ aut uere demonstrant, aut tantum uidentur demonstrare, quemadmodum in dialecticis inductio est, et uerus syllogismus: ita etiam in hac arte: exemplum enim inductio est, enthymema uero syllogimus: uoco autem ego enthymema quidem oratorium syllogismum, exemplum autem inductionem oratoriam. omnes enim oratores cum aliquid dicendo probare uolunt, aut exemplis: aut enthymematibus utuntur, et præter hæc nihil habent. Quare si omnino necesse est, eum, qui probare aliquid uelit, aut syllogismo, aut inductione uti, quod ex iis, quæ sunt a nobis in libris Analyticis explicata, perspicuum est: necessitas cogit, ut utriusq; illorum natura utriq; eorq; par, atq; eadem sit. Quæ autem differentia sit exempli, et enthymematis facile ex Topicis intelligi

potest

potest. Ibi enim de syllogismo, et inductione iam antea dictum est. nam cum ex pluribus, et similibus ita, ut uolumus, rem se habere ostendimus, ibi quidem inductio est, at in hac arte exemplum. neq; illud dubium est, artem ipsam facultatemq; dicendi hoc utunq; in se bonum habere, ut enim in libris de disserendi ratione, quos Methodicos inscripsimus, iam à nobis antea dictum est, sic etiam in ijs de Arte dicendi res se habet. Cùm uerò quibusdam propositis, aliud quiddam ab eis eorq; causa contingit eò, quòd illa uel generatim uera sint, uel plerumq; fiant; in Dialectica quidem syllogismus, in Rhetorica uerò enthymema uocatur; sunt enim dictiones quædam oratoriæ, quæ potissimum exemplis constant; sunt etiam, quæ totæ argumentis, et enthymematibus conficiantur, sicuti oratores quidam exemplis magis,

quidam

quidam argumentis delectantur. orationes autem, quæ constant exemplis, sunt quidem ad dicendum accommodatæ non minus, q̃ aliæ, sed illæ, quæ sunt enthymematibus refertæ, maiore quodam impetu animos commouent. Neu̇ quæ sit utriusq̃ causa, quoq̃ modo sit utroq̃ utendum, alio in loco postea dicemus. Nunc autem de ijs, quæ tractare cepimus, magis enucleatè, distinctèq̃ disseramus.

Quæ sit materia, et forma enthymematis.

Ex Tit. de Just. et Jur.

§. 1. Justitia est.

Jus suum cuique tribuendi hoc proprium munus est, et quasi insigne iustitiae, per quod ab alijs uirtutibus secernitur. Sicut enim propugnare ista est proprium constituens fortitudinem, in sermone et gestu seruare decorem, est proprium constituens modestiam, sicque de alijs uirtutibus, ita suum cuique tribuere, est proprium constituens iustitiam. nam ad habitum non ad actum respicimus. Proinde una omnium uirtutum iustitia alienum bonum esse dr, quoniam ad alium pertinet, quippe multi in proprijs uirtute uti potuerunt, nihil quod uitio uerti posset, admittentes: at uero in ijs, quae cum alio transigenda sunt, non item. Possum enim mihi ipsi esse prudens, fortis, modestus, at iustitia, nisi ad alium referatur, non erit uirtus. Quapp nemo iustus erit, nisi in alterum, tribuendo ei, q suum est. in quo omnium

legum

legum ratio consistit.

In versic. Jus suum. Accurs. non inepte exponit ius suum, hoc est, meritum, quia iustitia tribuit cuique, q ipse meruit, siue premio afficiendi sint boni, siue pœna mali. M

In §. Sed ius quidem. tit. de uir. nat. gent. et ciui. in versic. Nostrum ius.

